

Siquidem, ut laudare se turpe est, cum absq; necessitate id fit: sic non se laudare, quando necessitas id requirit, stultum est. Itaque B. Paulus, qui dixerat, Non qui seipsum cōmendat illi probatus est, sed quem Deus cōmendat; seipse mirifice commendavit in 2. Corint. c. 12. quia vidit id necessarium esse ad pseudoapostolorum calumnias retundendas. David igitur in hoc Psalmo humilitatis virtutem sibi ipse tribuit, quoniam sapē accusatus fuerat superbia & ambitionis, à quo vitio maximè abhorrebat. libr. 1. Reg. cap. 17. dicit ad eum frater eius, Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui. libr. eodem cap. 22. & alibi sapē Saul queritur de Dauide, quòd illi insidiaretur, & lib. 2. Reg. c. 16. Semei maledicens Dauidi, obijcit ei, quòd Regnum Saulis inuaserit. David igitur ad eiusmodi calumnias refellendas Deum vocat in testem summa sua humilitatis, ac modestiæ singularis. Præterea etiam si nulla calumnia præcessisset, poterat humilitatem suã prædicare, non ut virtutes suas iactaret, sed ut ostenderet, se quamuis robore, potestate, sapiētia, & opibus omnibus hominibus sui temporis in Palaestina excelleret, tamen non in suis viribus fiduciam unquam posuisse, & idèò debere omnes alios ad ipsius exemplum in solo Deo sperare, ut in fine Psalmi dicitur, Est autem hic Psalmus ex gradualibus vnus, quoniam docet in quo humilitas vera cōsistat, & nulla est via securior ad ascendendum humilitate, dicente Domino, Omnis qui se humiliat exaltabitur.

EXPLICAT. PSAL. CXXX.

I. **D**omine non est exaltatum cor meū, neque elati sunt oculi mei.

Securus Propheta, quòd vera dicturus esset, Deum ipsum alloquitur, quem nemo fallere potest: dicit autem coram Deo, se vitio superbię nunquam fuisse obnoxium, siue cor internum, siue signa oculorum externa cōsiderentur. Multi enim occultè superbi sunt in corde suo, magni se æstimantes; tamē extrinsecus humilitatē simulant: multi etiam nō minus elato supercilio despiciūt proximos suos, quàm eos corde tumido, atq; inflato contemnant. David au-

tem neq; cor elatum, neque elatos oculos gerebat; sed erat humilis corde, & eam humilitatem oculis præferbat.

Neque ambulavi in magnis, neq; in mirabilibus super me. II.

Dixit de superbia cordis & oculorum: nunc addit de superbia verborum, & operum: aliqui enim iactant se posse facere, vel fecisse, aut esse facturos maiora & mirabiliora, quàm re vera possint, & hoc modo ambulant, siue ascendunt super se inter loquendum: aliqui etiam re ipsa præsumunt aggredi opera, quę superant vires ipsorum, & isti ambulant, siue ascendunt supra seipsum opere & factis. David autem stabat in gradu suo, in vera humilitate fundatus, & idèò neque loquendo, neq; operando ambulabat super seipsum in magnis & mirabilibus, id est, neque gloriabatur se magna & mirabilia fecisse supra vires suas; neque tentabat facere, quæ sciebat se non posse perficere.

Si non humiliter sentiebam, sed exaltaui animam meam. III.

Sicut ab lactatus est super matre sua: ita retributio in anima mea. IV.

Non contentus Propheta, ipsi Deo, qui corda scrutatur dixisse, se ab omni superbia semper abhorruisse: id ipsum confirmat iuramento execratorio; ut tanto maior fides ipsius verbis ab omnibus habeatur. Dicit igitur, Si non humiliter sentiebam de me ipso, sed exaltaui animam meã; vel, ut significantius loquitur textus originalis, Si non composui me ad æqualitatem cum ceteris, sed supra ceteros me extuli. Sicut ab lactatus est super matre sua, id est, sicut infans recens ab lactatus manet in sinu, vel super genua matris suę mœstus & plorans, quia priuatus est dulcedine lactis, quæ pro illo tempore summę delicię ipsius erant: ita retributio in anima mea sit, id est, sic anima mea priuetur dulcedine consolationis diuinæ, quæ meæ potissimæ, ac penè solæ deliciæ sunt. Quantum sit hoc supplicium, quod sibi Propheta sanctissimus imprecatur, soli